



2. D. B. V.  
DISPUTATIO PHILOLOGICO-PHYSICA

*Ad illustr. locum Gen. I, 2.*

DE

# CHAO MVNDI

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. FRIDERICO AVGVSTO

PRINCIPE REGIO, ET ELECTORATVS

SAXONICI HEREDE

SVB PRAESIDIO

M. CRISTIANI BERNHARDI

BÜCHERI

FACVLTATIS PHILOSOPH. ADJVNCTI

AD DIEM XXV. JANVARIJ

IN AVDITORIO MAJORI

PVBLICAE DISQVISITIONI SVBMITTIT

AVCTOR - RESPONDENS

JOANNES DANIEL VNSELT

GEDANENSIS.

---

VITEMBERGAE

EX OFFICINA VIDVAE GERDESIAE.

27. 19  
L3, 17







CHAO M VINDI

IN FREDERICO AVGVSTO

M CHRISTIANI BENEDICTI

BACHERI

IOHANNIS DANIEL VINCET

EX OFFICINA VINDVAE GERDSTANAE







Σὺν τῷ Θεῷ.

PROOEMIUM.



Dissertationis Philologicae materiae quaerenti, offerebant se de prima materia verba Genes. I, 2. eo penitiori scrutinio digna, quo plures dantur, qui injurias in illa sententias fovent. Non enim de iis dicam, qui plane de throno Θεοπνευσίας ista deturbare ausi sunt, cum Simone, Basilide, Marcione, Manete, aliisque totum Pentateuchum malo cuidam genio acceptum ferentibus. Confer. Celeberr. Wolffii *Tract. de Manichaeismo ante Manichaeos Sect. II. p. 231.* & Summe Rever. Dn. Henrici Afcanii Engelcken *Dissert. de injuriis in Scripturam sententiis praefixa B. Schomeri Collegio Novissimarum controversiarum*, quorum impietas abominationem potius, quam refutationem meretur. Sunt qui verba Mosaica nunc ad captum plebis erroneae accommodata cum Dionysio Petavio *in Dogmatibus Theol. Lib. I. De opific. sex dierum* & Burnetto *in Theoria telluris* passim pronunciant, nunc cum Spinoza, Richardo Simonio, Vandalen, Clerico, Wittero &c. non Mosi sed cuiuspiam scriptori erroribus obnoxio vendicant: Nonnulli varia ex iis mysteria, progressum Alehymisticum, quin ipsum lapidem Philosophorum (sive somnium) elicere

A 2

fata-



fatagunt. Alii econtrario, qui non in eo improbitatis culmine subsistunt, si quid inveniunt cum dogmatibus eorum sive Mathematicis, sive Physicis vix conciliandum, textum nostrum furore quodam, & effrenata violentia ad partes suas pertrahunt, vexant, detorquent, id quod sequens tractatio evincet. Tantum enim adest, ut rationem suam sub obsequium Scripturae captivam ducant, ut potius Scripturae obsequium sibi exposcant. Et quis enarret omnia illa impietatis mancipia quibus cheu! uti tota Scriptura ita & verba nostra vapulant. Nobis animo constitutum est in praesenti paulo diligentius ista expendere, quid in recessu habeant pro temporis & ingenii ratione inquisituris. Torum vero negotium, ut methodo ac ordine peragatur, duabus partiemur sectionibus, in priori genuinum verborum sensum, in posteriori autem quaestiones ex textu confectarias exhibituri. Faxit DEUS omnia feliciter.

SECTIO I.

Verborum explicationem sistens.

§. I.

**I**njecta *χαῖος* primaevi a DEO in principio ex nihilo producti mentione, pergit Divinus Scriptor indolem illius ita delineare: והארץ היתה תהו ובהו וחשך על פני תהום ורוח אלהים מרחפת על פני המים. Vides chaos Moisaicum fuisse (α) ratione Substantiae massam limosam & aequam, id quod voces הארץ & המים indicant; (β) ratione quantitatis ingentem & ceu sine fundo molem (instar enim abyssi sese habebat); (γ) Respectu qualitatis, תהו ובהו, sive materiam rudem & indigestam, caliginosam & spissis tenebris involutam, informem & indispositam, talem denique quae virtute Spiritus S. faecundante, animante, & vegetante indiguit. Jam singula sigillatim examinemus.

§. II.



§. II. Vocum תהו ובהו varias & ancipites dari expositiones neminem fugere puto, qui primis modo labiis ea, quae ad S. Philologiam spectant, degustavit. Ex antiquioris aevi interpretibus R. Salomon תהו a verbo תהה admirationis habente notionem deducit, בהו vero per vacuitatem & vastitatem exponit; quasi diceret Moses, eum fuisse terrae habitum, ut si quis hominum videret, obstupesceret, & miraretur vastitatem illius. Onkelos Chaldaeus תהו ובהו per תהו ובהו rem desolatam & vacuum, seu, quod idem est, rudem, incultam omnique forma & figura destitutam explicat. Cujus vestigiis inhaerens R. Aben Esra substantivum utrumque nomen esse asseverat, & idem significare ac שאין בו ממש, nempe id in quo nihil solidi est ac subsistentis. Hanc interpretationem etiam suam faciunt Pagninus & Vatablus, quorum uterque in animadversionibus suis ad hunc locum תהו ובהו per desolationem & inanitatem interpretantur. Mercero prius vocabulum, תהו, desolationem internam, בהו vero externam respicit; Munstero autem תהו & בהו unius & ejusdem valoris sunt. Nicolaus Fullerus per תהו rem stupendam, per בהו vero pudendam intelligit. Posterioris enim fontem & incunabula quaerit in verbo בהת, quod Chaldaice erubescere & pudere significat, & ab exoleto תהו ejusdem significationis verbo ortum traxit. Vid. Fullerus in *Miscell. L. III. c. 3.* Nec sicco prorsus pede praetermittenda hic est versio LXX. Interpretum, qui authenticum ita reddiderunt: *ἡ δὲ γῆ ἦν ἀόρατος καὶ ἀνυπαρξήσους, terra erat invisibilis & incomposita.* Rationem si requiras, commodior vix ulla excogitari potest illa, quam Basilius supeditat Hom. II. *Terra invisibilis dicitur ob duas causas, aut quia nec dum spectator ejus praecesserat homo, aut quia sub aquis, quae tunc ei supererant latens nullo modo cernebatur.* Plures interpretationes collegit Hottingerus in *Praefat. ad*



*Theaurum*, quae verbis quidem a se invicem dissentire videntur, re ipsa autem adprime conveniunt, inanem, indispositam, & horrendae vastitatis molem exprimentes. Et hunc genuinum & verum vocum וברו תרו significatum esse ex reliquis Scripturae locis, ubi eadem haec phraseologia occurrit, sufficienter colligimus. Sive enim conjunctim, sive divisim a Spiritu S. adhibeantur, semper aut summam inanitatem, aut extremam vastitatem designant. Vn vastitatem? Ita Propheta de vastitate terrae Canaan ab hostibus illata: ראתי ההארץ והנה תרו וברו *Vidi terram Israelis, & ecce erat vasta & desolata.* Jer. IV, 23. Inanitatem vero dicit Jesaias quando idolum תרו vocat. Ef. XLI, 29. quod idem est, ac si cum Paulo dicas οὐδὲν εἶδολον ἐν κόσμῳ. Nihil idolum in mundo. Vid. 1. Cor. VIII, 4.

§. III. חשך, quae vox originem suam arcessit a חשך obscuratus est, duplici potissimum sensu in S. Literis occurrit, proprio & figurato. Sensu proprio denotat nunc absentiam lucis, nunc obscuritatem aeris, figurato autem & improprio sensu adhibetur ad indicandam rem tenebris analogam, aerumnas scilicet, adversam fortunam & omnis generis calamitates. Uti enim lux Symbolum laetitiae solet esse, ita vice versa tenebrae tristitiae & calamitatis, uti illa vitae, prosperitatis, sapientiae, gratiae & benevolentiae divinae, aeternae item beatitudinis, ita haec mortis Job. X, 22, luctus Jer. VIII, 21. Thren. III, 2. 6. erroris, quin aeternae damnationis notionem passim in S. Literis offerunt. Vid. Glaff. Phil. S. p. m. 1678. Quo posito clarum evadit, חשך hoc loco proprie accipiendum esse pro absentia lucis & quidem tali, quae nullam lucis existentiam praesupponit.

§. IV. תרו unde originem ducat, disputant interpretes. Nonnulli Ebraeorum derivant a תרו, quam tamen derivationem non veram esse ac genuinam R. Aben Esra animadvertit.



madvertit. Aliis persuasum est תהוו descendere ab המה fremitu nempe & strepitu, qualis v. c. in aqua, torrente imprimis, observari solet; verum huic deductioni Analogiam Grammatices adversari ostendit Hottingerus in *Histor. Creat. Quæst. de creat. XXVIII. p. 39.* Penitius rem introspexisse videntur, qui originem hujus notionis ab antiquo תהו, quod Arabibus dicitur, *attonitus fuit*, cum Buxtorffio repetunt, quod etiam Hottingero arridet, cui abyssus est locus stupendae vastitatis, ad quem attoniti stant spectatores. Vid. Hotting. l. c. Ceterum varius & multiplex vocis תהו datur significatus. Seposito enim sensu metaphorico, quo Iliadem maiorum Pl. XLII. rem item imperscrutabilem Pl. XXXVI, 7. quales sunt v. g. judicia divina Rom. XI, 33. designat, sumitur (1) pro duobus elementis inferioribus sese ambientibus terra videlicet & aqua (2) aquis in & supra terram positis. vid. Genes. VII, 11. (3) voragine & inexhausta aquarum multitudine, quae Graecis ἀβυσσος dicitur, & quemlibet locum aquis abundantem notat. Vid. Exod. XV, 5. Pl. CVI, 9. Hoc loco, quae vis sit vocis תהו, quaeritur? Sunt qui Subiectum cum adjuncto, rotunda quadratis miscentes תהו idem esse, ac תהו נאגאנט. Alii, qui cum Steucho abyssum allegorice explicant per res nondum existentes, & tanquam aeterna nocte sepultas, non immerito vapulant Hottingero l. c. *quæst. 30.* Nec est quod Patrum Origenis nempe & Hieronymi viam ingrediamur per תהו colluviem daemomum, quin ipsum infernum intelligentium, potius illorum sententiam juvat amplecti, quibus coagulum notat corporis limosi & aquosi, tenebris obfuscatum & adspectu horridum.

S. V. רוח descendit a radice רוח *spiravit, respiravit*, idemque involvit, quod Graecorum πνεύμα & Latinorum Spiritus, quorum illud a πνέω spiro, hoc a spirando ita dicitur.



citur. Est autem vocabulum  $\mu\eta\eta$   $\pi\omicron\lambda\upsilon\sigma\eta\mu\omicron\nu$  nec solum de rebus incorporeis & ab omni materia remotis, verum & corporeis & materialibus usurpatur. Ita enim sumitur vel substantialiter pro substantia eaque nunc incorporea, sive sit increata ut DEUS, sive creata ut Angeli & animae nostrae, nunc corporea tenui tamen ac subtili, sicut in Medicorum scholis corpora levissima e. g. subtilissimi sanguinis arteriosi & venosi halitus membrorumque corporis viventis inflationes atque tumores, purior item substantia a crassiori materia per artem chemicam separata, & alia ejusmodi agilia corpora nomine Spirituum venire solent: Vel sumitur accidentaliter pro donis spiritualibus, bono Spiritus S. motu, & quae sunt alia id genus, de quibus passim in Scriptura. *Consul. Vnschuldige Nachrichten Anni 1712. p. 703.*

§. VI. Non est vero quod putemus, omnes vocabuli  $\mu\eta\eta$ , & cui respondet Graecum,  $\pi\nu\epsilon\upsilon\mu\alpha$ , acceptiones proprie tales esse. In proprio enim vero ac genuino significato voces illae nihil aliud indicant, quam substantiam incorpoream & immortalem, quae ex nulla elementorum concretionem facta, nec ex materia & forma composita intelligendi & volendi facultatibus pollet. Hunc proprium vocis  $\mu\eta\eta$  valorem esse observavit Celeb. Vitringa in *Libro de doctrina Christianae Relig. C. 6. §. 30.* ubi angelorum naturam expositurus ita scribit: *Ex voce  $\mu\eta\eta$  Spiritus, intelligimus naturam illorum esse Spiritualem, proinde eos omnibus praeditos esse facultatibus, quae in Spiritum cadunt, quarum radicales sunt, intelligere, velle, & volendo quid posse. Illa enim potestas est vocis  $\mu\eta\eta$  Jof. XXXI, 3.* Reliqui ergo significatus ad unum omnes sunt saltem improprie tales, & toties locum habent, quoties vocabula  $\mu\eta\eta$ ,  $\pi\nu\epsilon\upsilon\mu\alpha$ , & Spiritus aut per Metaphoram &  $\acute{\alpha}\nu\alpha\lambda\omicron\gamma\mu\acute{\omega}\varsigma$  corpus subtile ac tenuioris indolis, aut per metonymiam dona Spiritualia denotant.

§. VII.



§. VII. Errat itaque Bernhard Henning Witterus Pastor Hildesienſis, quando in commentatione ſua ad Geneſim vocem רוּחַ ventum proprie ſignificare adſtruit, ſecurus hac in re hypotheſin, quam de materialitate fovet Hobbeſius, qui itidem Spiritum proprie habet pro corpore ſubtili ac fluido, deque eodem ex aere iudicat. *Vid. ejusdem Leviathan C. 34. p. 183. ſeqq. & in Append. C. I. p. 344.* Confer. B. Grapii *Theol. recens controverſa P. I. p. 73.* Hoc enim ſi firmo niteretur talo, ſequeretur רוּחַ de DEO improprie ſaltem uſurpari, & per conſequens DEVM Spiritum eſſe improprie talem, quod tamen non ſolum ἀθεόλογον verum & ὀτισπον. Confer. Dn. Adj. Elſwig *in Epiftola Apologetica ad Witterum. p. 29.*

§. VIII. Ex hactenus dictis etiam conſtare exiſtimo, inconvenientem eſſe ſententiam Illuſtris Thomafii, vocabulum רוּחַ & cognata, πνεῦμα & Spiritum non corpus, etiam ſubtile, verum ſemper ſubſtantiam immaterialem designare, adeoque ventum & lucem res incorporeas eſſe dicentis: *Verba ejus in Cautelis P. I. c. 12. §. 15. ſequentis tenoris ſunt: Es wird in der Schrift der unterſcheid zwischen Geiſt, und Materie in der Unſichtbarkeit geſetzt, was alſo ſichtbar iſt das iſt leiblich, und im Gegentheil iſt alles geiſtliche unſichtbar, und alles leibliche ſichtbar. Gleicher geſtalt ſind nach Anleitung der Schrift Licht und Luft nicht als körperliche, ſondern als geiſtliche Dinge anzusehen. &c.* En hypotheſin illi ſuperſtructam fundamento, *naturam Spiritus primario in inviſibilitate conſiſtere*, quod quam fragile, quam infirmum ſit, nullo negotio oſtendi poteſt.

§. IX. Equidem haud diffiteor, inviſibilitatem Spiritui competere, utpote cujus attributum eſt, ſed primum ejusdem conceptum eſſe inviſibilitatem, & per hanc Spiritum a corpore unice diſtingui, negatur. Nam, ut a Phycis



ficis observatum est, invisibilitas certo respectu etiam corporibus tribui potest, illis nempe, quorum particulae ob summam tenuitatem nerveas fibrillas (quarum tanta haud est subtilitas) concutere, adeoque ad cerebri medullium, tanquam sensuum sedem propagari non possunt. Confer. Dn. Vateri *Phys. Exper. Sect. VII. Cap. XVII. p. 603.* Quod animo volvens ANTONIVS le GRAND naturam Spiritus & primum ejusdem conceptum quidditativum non in invisibilitate, sed immaterialitate collocat dicendo: *Spiritum propriissime accipi debere pro re immateriali, item, Spiritum esse ab omni materiae commercio liberum.* Vid. Institut. Philosoph. P. III. c. 1. p. 173. Et haec est etiam Philosophia Servatoris nostri substantiam spiritualem a corporea per immaterialitatem distinguentis Luc. XXIV. v. 39.

§. X. Sed demus per invisibilitatem Spiritum a corpore distingvi, aer tamen ac lux quo jure ad classem invisibilium trahi possint, non video. Quod enim ad aerem attinet, ex Physicorum observationibus constat, illum ex particulis aqueis post earum rarefactionem generari, & condensatum deinceps rursus in aquam abire. Si igitur aer est Spiritus proprie talis, sequitur, Spiritum ex materia oriri & subinde in illam resolvi posse, quod repugnat naturae Spiritus. Adde, quod terram, cui undique circumfunditur, urgeat, premat ac gravitatis vim in illam exerceat, denique quod extensionem admittat, quis vero diceret, haec omnia sensum nostrum effugere, & ut Thomasi sunt verba, a corporibus esse aliena.

§. XI Idem judicium esto de luce, quae cum unice incurrat in oculos, & ablata tenebras efficiat, miror Virum Celeber, in eam delabi potuisse sententiam, ut omnem luci visibilitatem denegaret. Ad scripturam quidem provocat, & invisibilitatem lucis & aeris ex illa evincere conatur, verum







daicae Onkelosi Jonathanis, Hierosolymitana pariter & Arabica Saadiae translatio, commentatio item R. Aben Esrae & aliorum. E recentioribus Joh. Morinus in suis ad Translationem Samaritanam annotationibus sententiae huic ita subscribit, ut contra illos, qui in diversa abeunt, & רוח per incubitum explicant, eandem mordaciter propugnet. *Perperam*, inquit, *quidam vertunt incubare, cum incubatio quietem dicat non motum*, item: *motio hic nihil aliud est quam flare & spirare &c.* Easdem Morini tibias paucis abhinc annis inflavit Witterus in commentatione sua ad Genesim, qui praeter alias hypotheses etiam illam de verbo מרחפתי per vehementissimum flatum, eumque ad modum gyri explicando suam facit. Nec dissentire videtur ab hac sententia Joh. Clericus Professor LL. Or. Amstel. Ille enim nec illos qui ex Rabbis per incubationem hanc vocem exponunt, tantae auctoritatis esse, ut fidem mereantur, nec illud ex Deut. XXXII, 1. eviari posse existimat. Vid. *Comment. in Pentateuchum h. l.*

§. XIII. Nos, hac sententia suis auctoribus relicta, non possumus non illis adstipulari, qui verbum רוח non de simplici motu, sed tali, qui fit incubando, fovendo, & animando, interpretantur. Isti enim interpretationi & סודא-  
 פתי textus, & propria vocis significatio fidem conciliat. De illa infra agendi locus erit, hanc vero in praesenti eruiamus ex verbis Deuter. XXXII, 11. ita conceptis: כנשר ועיר קנו על-  
 גזליו ירחף יפרש כנפיו יקחהו ושאהו על אברתו *ut aquila excitat nidum suum, pullis suis incubat, pandit alas suas, assumit eum, portat eum &c.* En incubationem super pullos! quam hic necessario intelligendam esse verborum scopus nos edocet, qui est ostendere DEUM eandem habere rationem Israelis, quam aquila pullorum suorum. Jam vero si aquila se commoveret tantum, quae haec cura Quid



Quid utilitatis inde in pullos redundaret? Vides ergo verbum רחף talem hic involvere actum, quo aquila ovis suis & postmodum pullis incubat, calore suo illasque fovet, paulatimque ad maturitatem & volatum educit. In qua sententia vel illud me confirmat, quod eandem emphasin ex hac voce & Syri & Arabes eliciant, qui cum linguam & voces, procul dubio etiam vocum significationes ab Ebraeis acceperunt. Notari proinde hoc loco meretur, quod Basilii refert, se ex Syro quodam (quem Ephrem Syrum & Basilio perquam familiarem fuisse annotarunt Tilmannus & ex illo Fronto Ducaeus apud Hottingerum Thes. p. 348.) linguam Ebraicam exacte docto audivisse, genuinum vocis מרחפת significatum incubationem avis super pullos designare. Verba ejus in Hexaem. p. 24. ita leguntur: *Dicam tibi non meum sermonem sed Syri, Viri a Sapientia mundana tam longe distantis, quam prope adest cognitioni, sive scientiae verorum. Dixit hic Syriacam vocem aliquid sonare significantius tum ob affinitatem cum lingua Ebraica, tum etiam, quod Scripturae explicationi proxime accedat. Sensum igitur hujus verbi dicere actum avis incubantis pullis, & vivificam quandam virtutem fomento subiectis immittentis. Huic respondet Arabs in Lexico, cui Kamus nomen, qui verbum רחף itidem de incubatione, & quidem gallinae pullos calore suo foventis exponit. Quam expositionem etiam Talmudici exhibent in Chagig C. II. fol. 15. היונרה מרחפת על בנייה ואינה נגערת* *Quemadmodum columba incumbit pullis suis, neque eos attingit aut laedit alis suis.* Taceo, quod Orientalibus (juxta Schindlerum & Grotium) רחף proprie non saltem incubare verum & intensissime amare notat, quod si verum (de quo tamen dubitat Hottingerus in Histor. Creat. p. 44.) sine dubio inde gentiliū fluxit opinio, DEUM mediante amore omnia creasse. Vid. Grotius in Annotat. ad



*Libr. de veritate Relig. Christ. p. 233. Burnet in Theoria tel-  
luris L. II. p. 132.*

§. XIV. Non venti igitur commotionem, sed talem actionem hac voce exprimit Moses, qua רוח אל-הים seu Spiritus S. vastum illud & confusum primi corporis coagulum incubando fovit, fovendo sustentavit, & sustentando denique ad maturitatem suam perduxit. Hinc commentum illud Salomonis Jarchi: כסא כבוד עומד באויר ומרחף על פני המים ברוח פיו של הקב"ה וכמאמרו כינור המרפחת על הקן *Thronus gloriae stabat in aere, & motuabat se in superficie aquarum Spiritu oris benedicti & verbo suo instar columbae incubantis nido suo.*

§. XV. Quae omnia etsi veritatis luce radiant, habent tamen quibus obscurare eandem & Morinus & Witterus conantur. Ad Morinum quod spectat, objicit ille, incubationem dicere quietem non motum, quodsi igitur Spiritus S. incubuerit aquis, sequi illum se non commovisse. Quasi vero incubatio haec non cum motu virtuali conjuncta sit aut esse possit. Commovebat se Spiritus S. non pervagantis in modum, sed alitis pullis incubantis & calorem vitalem aspirantis. *Moses (inquit Danhauerus Hodosoph. p. 922.) exhibet incubantem Spiritum Domini non pervagantem, sed potestate non locorum spatii, sed sublimitatis potentia similem incubanti ovis aliti.* Reliquas Morini objectiones fuse refutatas vide ab Hottingero in *Histor. Creat. 2v. 33.* Sed quid Witterus? in medium profert loca duo παραλληλα, alterum ex Deut. XXXII, n. alterum vero ex Jerem. C. XXIII, 9. desumptum, & utroque suam de verbo רחף sententiam corroborari credit. Verum credat, non corroboratur. Locum Deuteronomii pro nobis militare antea probatum dedimus, quod ad Jeremiae attinet, nec hic explicationi nostrae obicem ponit, quamvis רחף ibi de motu quodam passivo non vero activo usurpetur. Con-



Conferenti enim locum hunc cum reliquis liquet, diversam esse verbi conjugationem, unam in Kal, alteram in Piel. Jam vero cum ררף ad illam verborum classē pertineat, quae aliam significationem in Kal hanc in Piel, ibi intransitivam & neutralem, hic vero activam seu transeuntem obtinent, per se patet, verbum מררף a Mose in Piel sumtum actum notare transitivum seu talem motum, quo alteri vita confertur, cum e contrario Jeremiae in Kal neutralem tantum & intransitivam commotionem designet. Consul. Sa- lom. Glassii *Philol. S. L. III. Tr. III. Can. XXVI. p. 828.* & Dn. Ad- juncti de Elswig *Dissert. contra Witterum p. 37.*

§. XVI. Sequitur vox פני, quae hic cum sequenti מי confirmitur, & superficiem sive partem exteriorē *חֲסֵף* Mosaici significat. Alioquin proprio & genuino signifi- ficatu faciem denotat cujuslibet animantis. Vid. Jer. XXX, 6. Genes. XL, 7. Quandoque etiam sumitur pro figura, forma & habitu. Ezech. I, 10. Job. XXVI, 9. item pro essentia homi- nis & statu ejus. Gen. XXV, 18. Levit. X, 3. Saepe iram seu in- dignationem exprimit, uti sit 1. Sam. I, 18. quo sensu etiam de DEO usurpatur irascente ac indignante. Thren. IV, 16. Pf. XXXIV, 7. Interdum notat circumstantias loci, significatque id quod est a facie hominis, vel coram homine & inter ma- nus ejus. Hoc sensu passim tribuitur DEO benedicto, ut Exod. XXXIII, 23. ubi inquit Jehovah פני לא יראו. *Faciem meam non videbis.* Denique usurpatum reperies hoc no- men pro cura & providentia DEI, nempe Levit. XXIX, 17. Deut. XXVIII, 5. & aliis in locis, de quibus confer. R. Maimo- nid. *Mor. Nevoch. P. II. c. 37.*

§. XVII. Vocem פנים excipit מים, quae est nomen dualis numeri, & per Synecdochen partis pro toto hoc loco chaos primaevum sive massam aquosam & limosam designat. Equidem Helmontius *de Princip. Corpor.* & David de Beck  
Exper.



Exper. circa rerum princip. solum hic aquam innuicentent, freti antiquissimi Graecorum Philosophi, Thaletis opinione, primam materiam nil nisi aquam fuisse. At enim vero, si haec ita se haberent, aqua non posset dici cum terra permixta & deinceps ab illa separata, quam tamen separationem die secunda factam legimus Gen. I, 7. Sed haec infra expendemus. Alioquin hoc nomen sumitur pro aquis infra & supra coelum collocatis, uti fit Gen. I, 7. וַיַּעַשׂ אֱלֹהִים אֶת-הָרְקִיעַ וַיְבַרֵּל בֵּין הַמַּיִם אֶת-הָרְקִיעַ וּבֵין הַמַּיִם אֶשֶׁר מֵעַל לְרְקִיעַ אֶשֶׁר מֵעַל לְרְקִיעַ. Et fecit DEUS expansum & distinxit inter aquas quae inferius respectu expansi & inter aquas superius respectu expansi. Quo in loco per aquas supra expansum quidam angelos bonos indicari putant, malis infra expansum collocatis oppositos. Ita Origenes somniavit notatus ideo ab Epiphanio & Hieronymo apud Sixt. Senens. B. S. p. 416. Nonnulli coelum aliquod chrySTALLINUM supra expansum fingunt cum Lyrano, Cajetano, Tostato, & Vallesio Phil. Sacr. p. 32. Quidam impressiones aereas, nubes & aquas pluvias a Mose innui sibi pervadent, uti Steuchus in *Cosmop.* Dionys. Petavius P. I. *Ration. Temp.* l. 1. c. 1. Spanhemius P. I. *Disp. Misc.* p. 89. Kippingus de creat. Exercit. XIII. & Sam. Fabritius in *Cosmotheoria Sacr.* L. II. c. 7. p. 91. Alii denique aquas supra coelum sidereum positas intelligunt, de quibus vide sis Hottingerum *Hyst. Creat.* p. 85. & B. Pfeifferum in *du-biis vexatis* p. 5.

§. XVIII. In sensu figurato vox מַיִם denotat (1) Populum fortem ac numero amplum, illum imprimis, qui hostiliter urbem invadit, & in ea grassatur Esa. VIII, 7. Jer. XLVII, 2. (2) Quasvis calamitates, quae pelagi instar in homines redundare solent. 2. Sam. XXII, 17. Pf. XVIII, 6. Pf. LXVI, 12. quo sensu etiam acerbissima Servatoris passio aquis profundis & inundantibus assimilatur. Pf. LXIX, 2, 3. 4. Pf. XL, 3.

(2) Po-



(3) Posteritatem quae ex stirpe sua ceu fonte profluit Num. XXIV, 7. Ef. XLVIII, 1. (4) Denique aquarum metaphoram DEI & Servatoris nostri beneficia saepius designantur V. C. Jer. II, 13. C. XVII, 13. & alibi. Vid. B. Glassii Philolog. L. V. Tr. I. C. X. p. m. 1698. Judaeis aquae Symbolum legis praebent, aquas enim Rabbini interpretantur de lege. Ef. LV, 1. alibique. Conf. Lightfooti Hor. Ebr. & Talm. in C. VII, 38. Joannis.

SECTIO II.

Exhibens quaestiones ex verbis Mosaicis consecrarias.

QV. I. *Quid de Chao mundi sit sentiendum?*

§. I.

AD tria potissimum haec quaestio redit momenta, quorum primum circa nomina, alterum circa originem, tertium denique circa formalem *χώρας* Mosaici rationem versatur. Nomina sunt varia, nec unius generis, quibus prima illa & indigesta materia insigniri solet. Mose, ut ex contextu patet, תהו ובהו dicitur, quorum verborum significatus quisnam sit, in Sect. I. fusius demonstratum est. Hoc loco id saltem monere non citra utilitatem erit, a vocibus תהו ובהו nonnullos Gentilium arripuisse occasionem novos sibi fingendi DEOS. Nam uti receptum erat gentibus, unde cunque DEOS, Deasque deducere, ita quoque diabolo certe auctore & suatore factum est, ut ex Sacra Historia, praesertim creationis Numina, Deorumque nomina peterent. Hinc praeter Bel Samen & Samones, (qui a שמים Genes. I, 1. originem ducunt) Phoenices habuerunt DEOS Theuth & Bau a תהו ובהו dictos, de quibus vid. Seldenus de Diis Syris, & Eusebius *Lib. I. הפרוט.* c. 7. Idem refert de Aegyptiis Lactantius *Lib. I. Instit.* c. 6. eos nempe coluisse DELUM Theuth, sive Thouth dictum, & illum pro antiquissimo, omniumque re-

C

rum



rum auctore habuisse. Neque dubitat Hornius *in Histor. Philo-  
soph. Lib. II. c. XI. p. 121.* a תהו & Theuth etiam Titana descen-  
dere, de quo nomine ex Irenaeo Lib. 5. constat, divinum id a  
multis putari, indeque ipsi soli tributum. Et haec de תהו ובהו.

§. II. Sequuntur nomina moli indigestae a gentilibus  
imposita, quae, si non omnia pleraque certe תהו ובהו Mo-  
saico ad amissum respondent. Phoenicibus *μωλ* i. e. תהו, *λλος*  
item seu limus vocatur, Orpheo & Stoicis ovum, Hesto-  
do tartarus, Hippocrati orcus, Democrito atomi, Aristophani  
Erebus, Abyssus, Pythagorae & Platonicis *ύλη*, quam Aristo-  
teles materiam dicit, sive rem propositam, ex qua aliquid con-  
ficitur. *Lib. I. Polit.* Decantatissimum denique & omnibus  
usurpatum nomen est *χάος*, quod unde sit derivandum, a  
Criticis disputatur. Joh. Gerhard. Vossius *χάος* ab antiquo  
*χάω* hinc deducit, & yastum hiatus notare dicit *in Lib. de  
Seel. Phil. C. II. §. 5.* Nonnulli cum Ricciolo a *χέω* fundo de-  
rivant, alii vero ab Ebr. כהור caliginis habente notionem,  
quos sequitur Dickinsonius in *Phys. Vet. & Ver. c. V. §. 2.*  
C. Schotano Hept. Diatr. II. a Caho Phoenicum descendit. B.  
Waltherus in *Harmon. Bibl.* & Hornius *in Histor. Philosoph.*  
*Lib. II. p. 120.* Chaos (quod antiquis, Festo teste, cohū di-  
cebatur) sive a Tohu sive a Bohu, unius literulae mutatione  
factum putant, quod si verum quisquis facile perspicit, Ve-  
teres Philosophos suam de origine mundi notitiam ex Sacris  
litteris hausisse.

§. III. Sed ad alterum progredimur, quod de origine  
*χάος* Mosaici quaeri solet, *num DEUM agnoscat creatorem?*  
Sunt qui negativam defendunt, & illi in duos potissimum  
ramos distinguuntur ob duplicem, ex quo negant, fontem.  
Nonnulli rationi frenos laxantes praecipites dantur in praes-  
judicatum illud veterum axioma: *Ex nihilo nihil fit;* quo  
freti omnia quae de creatione *τς χάος* audiunt, risui ex-  
ponunt,



ponunt, illud non DEO sed aeternitati vendicantes. Alii vero propterea negant, DEUM creasse molem indigestam, quia repugnare id ipsum putant perfectioni operum divinarum. Quod priorem concernit classem ad illam se pertinere confitentur ex Gentilibus Democritus, Epicurus, Zeno alii, qui atomos sibi fingunt aeternas, & ex collisione illarum mundi originem. Vid. Bonaventura L. II. *Sentent. Dist. I. n. 7.* Phoenices, populi antiqui ad imam oram maris mediterranei siti ejusdem de Atomis erroris accusantur a Posidonio apud Strabonem Lib. 16. & Sextum Empir. *adversus Mathematicos*. p. 367. Contrarium tamen ex probatae fidei auctoribus refert Dickinsonius in *Phys. Vet. & Ver. C. XII. p. 297.* *Cosmologia*, ait, *Phoenicum palam docet, haud ipsum mundum duntaxat, sed ejus etiam materiam, quae fuit σποράς κτισθῶς, γενετῶν sive factum fuisse &c. Confer. Grotius in Notis ad Libr. de Relig. Christ. p. 232.* Platonicos materiam aeternam & innatam docuisse auctor est Tertullianus advers. Valent. C. XV. *Age nunc*, inquit, *discant Pythagorici, agnoscant Stoici, Plato ipse, unde materia, quam innatam volunt, & originem & substantiam traxerit.* Ut igitur non immerito falsidici notam incurrat Huertius apud celebr. Dn. Wolff. Platonem ab hoc errore absolvens. Vid. Wolff. *Tr. de Manichaeism. p. 127.* Legi etiam merentur quae de Plarone hac in parte observarunt Dn. D. Sensius in *Stockbl. Wegweiser* p. 103, & B. Bücherus, in *Menf. Antipietist. VIII. p. 297.* Saecul. post Christ. nat. II. errorem suum de materiae aeternitate proposuit Hermogenes, qui, juxta Tertull. L. contr. Hermog. a Christianis conversus ad Philosophos, de Ecclesia in porticum unde sumfit a Stoicis materiam cum Domino ponere, quae & ipsa semper fuerit neque nata, neque facta, neque initium habens, nec finem, ex quo Dominus postea omnia fecerit. Spinozam eodem in luto haesisse, sufficienter videri potest ex ejus Lib. I.



Ethic. p. 13. Hujus, vestigiis inhaerent Scriptor Berolin. Concordiae rationis & fidei in *Append. Lit. K. 4. b.* & Dippelius in *Wegweiser zum Licht und Recht, quando P. II. p. 26. inquit: Das absürdeste so unter uns Christen diese Controvers von der Prima materia begleitet, ist die über all angenommene und ausgemachte Meynung, daß GOTT die Welt aus keiner zuvor schon da gewesenem Materie erschaffen, wie sonst diejenigen Heyden geglaubet, die mentem und materiam zugleich ewig gemacht.* & p. 30. *Es ist schon ehemahls von uns erinnert daß die Red- Art: GOTT hat alles aus nichts gemacht, von den Christen ohne Schrift (mentiris Democrite) und vielleicht auch ohne Licht in die Theologie gebracht worden.* Nec alienus ab hoc errore videtur Burnettus in sua *Archaeolog. quem refutat. Auctor Mosis vindic. p. 55. An. 1700. Dethlev. Cluverus, Reg. Societ. Lond. Membrum edidit Philosophemata de genesi ac structura globi terrei, quibus inter alia chaos Mosaicum ante sextiduum esse creatum cum Episcopo adstruit, quo illum errori de massae aeternitate patrocinari facile videt, qui ante sextiduum nil nisi aeternitatem fuisse secum perpendit. Confer. B. Grapii Dissput. de Geolog. Cluv. Anno 1709. Rostoch. habit. Plures adhuc toxico hoc fascinosos fuisse per facile esset ostendere, sed nolo hic repetere, quibus nuper saltem Amicus noster longe dilectissimus. industriam suam probavit.*

§. IV. Accedimus ad alteram classem in cujus limine nostris se sedit obrutibus Vellejus, qui apud *Ciceron. de Natur. DEOR. Lib. I.* putat indignum esse tanto artifice instar fabri lignarii ex sylva parata aedificium construere. conf. *Lactant. L. II. c. 9. Instit. Divin.* Hunc excipiunt, ut pedem ad Christianos promoveam, Keckerm. & Renat. *Cartesius, quorum ille Lib. VII. System. Phys. p. 818. DEUM, ait, confusum chaos creasse in Scripturis S. nullum habet fundamentum & repugnat perfectioni divinae &c.* Hic vero perfectioni creatoris obesse opinatur,



natur, materiam omni ordine & ornatu in quo nunc conspici-  
 citur, destitutam producere, utpote cui magis conveniret pro-  
 portio & ordo, quam horrenda omnium rerum confusio. Vid.  
 Cartes. Pr. Phil. P. III. §. XLVII. Eidem sententiae favet Voerius  
*Tom. I. Disput. Select. Disput. de creat. P. III. Th. II. p. 600.* & alii,  
 quos in medium proferre brevitatis studium haud permittit.

§. V. Nostram exposituri mentem dicimus (I) *Illud*  
*תהו ובהו non fuit ab aeterno sed DEUM habuit conditorem.*  
 (II) *Creatio molis indigestae perfectioni operum divinatorum*  
*haud repugnat.* Prius prob. (1) Ex connexionem v. 1. cum 2.  
 Cap. I. Genes. In primo versiculo dicit Moses creasse DEUM  
 coelum & terram, in vers. autem secundo statim de terra a  
 DEO creata subjungit, quod fuerit *תהו ובהו* informis & stu-  
 pendae vastitatis (2) Ex Ps. CIV, 5. 6. *Qui fundasti terram su-*  
*per stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum seculi; aby-*  
*sus sicut vestimentum amictus ejus &c.* Hic terrae meminit  
 David a DEO initio fundatae, & aquarum multitudine oper-  
 tae, quae eadem est descriptio molis indigestae quam Moses  
 praesenti in textu suppeditat. (3) Ex testimonio Pauli mun-  
 dum, & omnia in illo DEI creantis potestati subjicientis. Act.  
 XVII, 24. Rom. IV, 17. His jungimus (4) consensum interpre-  
 tum, veterum juxta & recentiorum, qui DEUM unanimi quasi  
 ore indigestae illius materiae creatorem dicunt. Nec desunt  
 hac de re quorundam Gentilium testimonia, uti satis est no-  
 tum ex Cosmologiis Phoenicum, Aegyptiorum aliorumque  
 apud Grotium l. c. Huetium in *Aner. Quaest. Lib. II. c. 5.* Dic-  
 kinson in *Phys. Veter. & ver. C. XII. p. 297.* Wolfium in *Tr. de*  
*Manich. p. 16.* Stillingfleet. in *Origin. S.* aliosque.

§. VI. Posterius, quo adstruitur a nobis, creationem mo-  
 lis indigestae non repugnare perfectioni operum divinatorum,  
 inde comprobatum reddimus. (1) Quia opera DEI spectan-  
 da, & aestimanda sunt non e primordiis sed ex complemento :  
 Non



Non quatenus versantur in fieri, sed in esse. Chaos Mosaicum non pertinebat ad complementa sed ad primordia creationis operum. Creabatur illud a DEO non ut maneret tale, sed ut ceteris rebus creandis materiam praeberet. (2) Quia DEUS voluit successively non in instanti mundum creare. Jam vero si perfectioni divinae detrahit, quod major virtus ex opere ornato, quam ex indigesta & indisposita emergit materia, mundus necessario non quoad partes & intra sextiduum, sed uno momento debuit produci. Nemo enim incipias ibit, coelum quarto die sideribus mirandae magnitudinis ornatum, terram item tertio & sequentibus diebus varii generis animantibus, arboribus floribus &c. exultam longe excellentius clarissime de sapientia & perfectione Creatoris testimonium prae-buisse, quam coelum & terram primo & secundo die omni adhuc ornata destituta. (3) Quia DEUS eo ipso se ordinis auctorem demonstravit, cui conveniens est, ut fiat progressus a non esse ad esse, ab imperfecto ad perfectum. Docet id conservatio & specierum per nova individua propagatio, quae non instantanea est, sed successiva & progressum ab imperfecto ad perfectum admittit. Primum foetus humanus est embryo, postea fit infans, ab infante tandem in virum evadit; Virgultum nunc, post tempus arborem vides frondibus turgentem; & sic in reliquis. Adde his (4) J.H. Hottingeri si non probationes, pias certe meditationes: *DEUS, inquit, molem indigestam condidit quia placuit ipsi nobis specimen dare methodi a nobis observandae, ut ab imperfectioribus ad perfectiora laudabili nisu progredieremur: Ut omnia seramus soli DEO accepta, initium progressum & ultimum etiam apicem, tam υλγεως, quam γεγεσως corporalis & spiritualis. Ut agnoscamus, nihil tam esse deforme, cui sapientissimus opifex aliam quando & ubi volueris non possit induere faciem. Ut reverentia Numinis illius excitetur, cujus potentia omnia redire possunt להתרו ובהו in utilitatem & solitudinem, Vid. Hotting. in Hist. Creat. q. 37.*



§. VII. Ordine tandem pervenimus ad id, in quo cardo rei versatur, scilicet ad ipsum  $\chi\alpha\omicron\varsigma$ , de quo quaeritur: *Quid per illud intelligendum sit?* Dantur, qui chaos nihil aliud fuisse existimant, quam aquam condensatam, seu materiam ex puris particulis aqueis combinatam. Sic jam olim Brachmanes, populus Indiae versus austrum sitae, primam mundi materiam in aqua posuerunt, quod ex Megasthene, Nearcho, Aristobulo, aliisque docet Strabo Lib. 15. p. 713. & Burnet in *Archaeolog.* p. 345. Eandem viam ingreditur Thales, antiquissimus ille Philosophus, qui ex familia Phoenicia ortus semimillennio circiter a Troja capta in Graecia floruit. Vid. Cicero de N. D. L. I. & Diogenes Laertius in *Vita Thaletis*. Hos sequuntur Stoici quidam apud Philonem in *Libr. de Mundi incorruptibilitate*. Zeno apud Stanlejum in *Histor. Philos.* p. 625. Helmontius de *Princip. Corp.* & David de Beck. *Exper. circa rerum principium*.

§. VIII. Verum, quanquam minime negemus, primam materiam, seu chaos aqueas in se complexum esse particulas, tamen illud nil nisi aquam fuisse idonea ratione haud probatur. Quae enim ab Helmontio & asseclis probationis loco proferuntur, tanti non sunt, ut hypothesin stabiliant, ut potius historiae creationis aperte contrariantur. Ita quando ex Genes. I, 2. extorquent illi, aquam cui Spiritus S. incubuit, fluentem, ut hodie, extitisse, quis non videt, hanc esse explicationem Mosi contrariam? Moses hoc & vers. 7. ad vivum demonstrat, aquam initio cum terra fuisse permixtam & die demum secundo a chaos disjunctam. Idem observetur de argumento ex 2. Pet. III, 5. desumpto, & ceteris Helmontii rationibus, quas refutatas vide a Magnif. Vatero in *Physiol. Exper.* p. 63.

§. IX. Nec majorem merentur assensum, qui chaos ovum fuisse nugantur. Ita Sinenses de ortu rerum omnium ex ovo in suis tradunt archaeologis teste M. Mart. in *Histor. Sinens.* Boerian inclinatur doctrina Perfarum, qui de Oromasde memo-  
riant,



rant, illum bonos DEOS, stellasque in ovo posuisse. Vid. Plutarchus de Isis. & Osir. Et quem fugit, Orpheum celeberrimum inter Graecos Poetam (qui haud multo post tempora Mosaica vixisse fertur) ovum cecinisse? Quod ovum Orphicum apud plerosque Gentium mundi deinceps Symbolum factum est. Vid. Eschenbach *Epigenes* p. 64. seqq. Burnet *theor. telur. Lib. II. c. VII. p. 2.*

§. X. Democritus olim cum Epicuro rerum omnium principium in atomis quaerebat. Cui sententiae etiam nomina sua dant Joannes Amos Comenius in *Phys. ad lumen divinum reform. Synopf. c. II. p. 25.* & Joannes Bayerus, qui *masa*, inquit, *mundi informitate sua fumi aut vaporis, ac dispersarum atomorum instar sese habuit* in Ostio seu Atrio Naturae c. I. Axiom. XIV. p. 57. Conf. Buddeus in *Introduct. ad Histor. Philos. Ebraeor. p. 376.* Econtrario Hippaso Metapontino & Heraclito Ephesio ex igne, Populis Septentrionalibus ex glacie, seu aqua gelu obdurata & calore deinceps liquefacta omnia procreata esse persuasum fuit. Vid. Rudbeck in *Atlant. P. II. c. 6. Paulini Philosophische Lust-Stunden. P. II. p. 11.*

§. XI. Quod si Cluverum in Geologia audiamus, chaos Mosaicum nihil aliud fuit, quam Atmosphaera Cometae. *Es wird, inquit ille c. I. keinem ungläublich oder fremd fürkommen, wenn man gleich anfangs allhier zu verstehen giebt, daß alles was die alten unter dem Nahmen CHAOS haben andeuten wollen, nichts anders sey als eine Atmosphaera oder Dunst-Kugel eines ausstrahlenden Sterns, so man wegen seiner barichten Gestalt einen Cometen zu nennen pflegt. Denn alle diese kleine Theilchen von Körpern, aus welchen unsere bewohnte Erden anjetzo ist zusammen gesetzt, haben sich anfangs in einem vermischten verwirreten, flüssigen und ungewissen Zustand befunden.* Probat deinde assertum suum ex collatione cometae cum chaos, quae duo exacte inter se convenire jactat, & qui-



quidem (1) Nomine. Chaos olim vocatum fuisse, dicit *ἀέρος  
ζοφώδη καὶ πνευματώδη*, item *πρόην ἀέρος ζοφώδες*, Ger-  
manice *eine finstere und sturmichte Atmosphaera und Luft*,  
*oder Ausblasung einer finstern Luft*. (2) Proprietatibus, qua-  
les sunt, esse essentiae mollis & fluidae, mixtum esse ex variis  
minutissimis corpusculis in confuso maximo statu positis, te-  
nebris circumfundi, gaudere gravitate & magnitudine, igne  
item centrali qui efficacem evaporet calorem, & quae sunt  
plures id genus proprietates, quas utrique & chao & come-  
tae competere docet.

§. XII. At vero, unde haec habet Cluverus? Num ex hi-  
storia creationis a Mose literis mandata? absit; an ex sana Phi-  
losophia? Neque hic de proprietatibus cometae adeo clare &  
apodictice constat, ut potius omnes ferme vel Physici, vel  
Mathematici circa naturam cometae a se invicem discrepent.  
Dantur, qui cometam phaenomenon esse contendunt tem-  
porarium & ex halitibus fumidisque evaporationibus tam so-  
lis quam reliquorum planetarum conflatum. Ita Tycho Brahe,  
Kircherus, Ricciolus, Sturmius & Joh. Hevelius, quorum hic in  
Cometographia Lib. VII. *Cometa*, inquit, *est corpus aethereum  
crinitum seu barbatum, temporaneum haud omnino quoad caput  
globosum; sed disciforme, ex fumidis evaporationibus solis &  
reliquorum planetarum omnium conflatum & quidem ex multi-  
fariis corpusculis, nucleisque partim rotundis, partim diver-  
sis irregularibus, inspersa hinc illinc, materia rariori composi-  
tum, cujus universa materia nullo prorsus nativo, instar eorum  
corporum, ex quibus prodire, gaudet lumine, sed omne quod ha-  
bet a sole prorsus haurit. &c.* Nonnulli ex stellis fixis, si ma-  
culis atque vaporibus obducantur, cometas progigni putant,  
qui aut in planetam tandem evadant, aut, maculis & vaporibus  
dissipatis, pristinam recuperent naturam. Alii denique,  
qui rem acu tetigisse videntur, cum *Petito*, *Cassino*, &  
D Ber-



Bernullio, cometam dicunt non ex effluviis solis, vel exhalationibus terrae generari, sed stellam esse in prima jam creatione productam, & in coelo ita locatam, ut per certa intervalla, nunc motu suo profundius descendat, seque conspicendam praebat, nunc altius in coelum ascendens conspectui nostro rursus se subtrahat. Vide Excellentiss. Dn. D. Loescheri Physicam Exper. Lib. III. Qv. 12. p. 104. seqq. Quicquid hujus sit, id certum & in aprico est positum, chaos Mosaicum cometam dici non posse. Nam, etsi concedamus Cluvero, proprietates magno numero in scenam productas, utrique & chao & cometae competere, haud tamen exinde sequitur chaos cometam esse. Chaos Mosaicum ad primordia operum creationis spectat, teste Spiritu S. Genes. I, 1. ast sidera, quibus cometa de jure annumeratur, quarto demum die creata legimus Genes. I, 19. Afferit quidem Cluverus sidera sextiduo jam praexistisse & die quarto firmamento tantum a DEO affixa esse. Verum repugnare hanc assertionem historiae creationis, vel exinde palam est, quia DEUS Genes. I, 14. dixisse fertur: *Fiant luminaria & sidera*, quicquid ergo fieri debuit; id antea nondum fuit. Conf. B. Grapii *Disp. de Geolog. Cluveri*.

§. XIII. Aliam sed monstro similimam, dico etiam blasphemam, de chao fovet opinionem Christianus Democritus *im Wegweiser zum verlobrnen Licht und Recht*, ubi non veretur ipsum DEUM (horrendum dictu) chaos primaevum dicere. Plenius ut mentem viri exponamus, duplex juxta illum datur creatio, rectius metamorphosis. In prima essentiae divinae, Patris nempe et Filii, quorum hunc lucem, illum ignem vocat, in unam coagulatae sunt substantiam, igneam & pellucidam (*die beyderley Essentien nachdem sie in der Schöpfung aus dem Wesen Gottes in die Schiedlichkeit getreten (DEUS divisibilis) haben bernach in ihrer combination, so subtil und geistlich sie sonst in ihrer Wurtzel an sich selbst sind, alsobald eine körperliche*



liche coagulation doch in durchsichtiger, und hell leuchtender Lichts-Klarheit überkommen. Vid. P. II. p. 142.) Ex hac ignea & pellucida massa Lucifer primum prodiit, qui bonus initio, mox vero lapsus falsam & a divina alienam excogitavit magiam, qua mediante duas essentias arctissime combinatas, & insigni conjunctas harmonia distraxit. Quibus distractis omnis cessavit harmonia. Ignis a luce separatus in materiam rudem, frigore rigidam, & inertem, lux vero in aquam fatuam, inspidamque, verbo utraque essentia *והו וברו* abiit. Et haec est secunda primae materiae creatio, de qua Democriti verba l. c. p. 143. ita se habent: *Da nun also der Lucifer in der Finsterniß, oder in dem Feuer ohne Licht wohnete, führete er als ein grosser Fürst der euffern Natur auff oben beschriebene Art die falsche Magic in die euffere Natur, in welcher denn gleichfalls die zwey sonst genug harmonierende Principia des Lichts und Feuers sich in Streit geschieden* - - Hiemit ist das Principium des grimmigen Feuers in seinem zurück kehren in eine finstere coagulation und grimmige Irrdigkeit, Kälte und Strenge versallen, das principium aber des Lichts ist zu einem abgeschmackten und zerstörlichen Wasser worden, und dieses ist nun das Chaos dessen Moses gedencket: und die Erde war wüste und leer. Legantur & reliqua, in quibus prolixius adhuc sententiam suam exprimit, quam (fatente ipso Dippelio) coincidere vides cum delirio illo Trismegisti in Pimandro: *Cernebam immensum quoddam spectaculum, omnia videlicet in lucem conversa, suave nimium atque jucundum, quod intuentem me mirifice oblectabat. Paulo post umbra quaedam horrenda, obliqua revolutione subterlabebatur, in humidamque naturam commigrabat, ineffabili tum vultu exagitatam, inde fumus quidam magnus in sonitum erumpebat, ex sonitu vox egrediebatur, quam ego luminis vocem existimabam: Ex hac luminis voce verbum factum prodiit. Verum hoc naturae humidae adflans,*





*eam fovebat, ex humidæ autem naturæ visceribus sincerus ac levis ignis protinus evolans alta petit. Aer quoque levis spiritu parens mediam regionem inter ignem & aquam sortiebatur, terra vero & aqua sic invicem commixta jacebant, ut terræ facies aquis obruta nusquam pateret. Hæc duo deinde commota sunt a spirituali verbo, quod eis superferebatur, aures eorum circumsonans &c. Ita Trismegistus, qui non pro vetusto illo & celebratissimo inter Aegyptios Philosopho, (quod vult Democritus) verum recentioris ævi & Platonis sectatore habendus est, notante B. Colbergio Tr. de Sapiencia Veter. Ebraeorum per universum terrarum orbem dispersa p. 154. Verba Pimandri leguntur in Operibus Mars. Ficini p. 1437.*

§. XIV. Sed quid? Dippelium tantum hoc furore correptum putas? Falleris, tota Fanaticorum cohors ita delirat, & primam materiam de essentia Divina exponit. Ita jam seculo XIII. famosus ille Enthusiasta David de Dinanto statuit, Deum esse materiam primam, ex qua omnes creaturarum formae profiluerint. Vid. B. Thomasi *Disput. de quaest. illa: An DEUS sit materia prima.* Similem in modum ocellus fanaticorum Jacob Boehmius conceptis verbis DEUM fuisse materiam universi hujus adstruit Lib. *de tribus principiis* p. 11. cum inquit: *Da GOTT die Welt samt allen erschaffen, hat er keine andere Materie gehabt, daraus ers machte, als sein eigen Wesen, als sich selbst.* & p. 339. *GOTT hat alles aus seinem Wesen erbobren, beydes Licht und Finsterniß.* Eadem habent Boehmii defensor contra B. Hinckelmannum in *Respons. Propempt.* p. 27. & Auctor Ideæ Theologiae Boehmii, qui creaturas in DEO non qua materiam tantum, sed formam etiam ceu in chaos extitisse fomniant. Cum quibus consentit Auctor Mysterii creationis, p. 234. qui itidem formas creaturarum in DEO vidisse sibi visus est, id quod verba ejus indicant: *GOTT ist ein ewig Wesen, in welchem waren die Formen aller seiner Geschöpfe.* Nec sanior est sen-



sententia Arnoldi, quam proponit in *der Verklärung Jesu* p. 481. his verbis: *Alles ist aus GOTT entsprungen als aus dem ewigen unsichtbaren Wesen, nachdem er solches schiedlich und beweglich gemacht hat.* Quae & alia absurda absonaque ex Bechero, Joh. Leadia, Peterlenio, & reliquis prolixè recenset Reverendissimus D. Loescherus in Praenot. p. 122. seqq.

§. XV. Clarum vero opinor esse, atque perspicuum, quoniam haec omnia nitantur fundamento, videlicet non verbo DEI, sed faedissimis Platoniorum commentis, quae cum dudum jam explosa & confutata sint a viris non uno nomine claris, supervacaneum erit in illis sigillatim persequendis operam & industriam collocare. Id saltem in genere & quasi ex abundanti annotasse sufficiat, primam materiam nullo modo cum essentia divina conciliari posse. (1) Quia est res materialis, informis, expers rationis, extensionem admittens, verbo תהו ובהו, quae de DEO cogitare, nedum dicere blasphemum erit. (2) Quia S. Pandeeta chaos a DEO ex nihilo pure negativo non vero essentia divina creatum pronunciant. Confer. Genes. I, 1. collat. cum Rom. IV, 12. (3) Quia dissentientes nihil solidi habent, quod in praesidium causae afferant, & proinde nullo jure portenta ista sibi concedi possunt. Confer. Magnificus Dn. D. Wernsdorff. in Disputat. de *Hylotbeismo* p. 20. & Dn. D. Senftius in *Stockblinden Wegweiser Democriti*. p. 1.

§. XVI. Missis his omnibus de chao sententiis merito illorum partes tuemur, qui per chaos Mosaicum intelligunt massam rudem, limosam, tenebrosam, informem & indispesitam, verbo talem, quam Ovidius Lib. I. *Metam.* ita describit:

*Ante mare & terras, & quod tegit omnia coelum  
Unus erat toto naturae vultus in orbe  
Quem dixere, Chaos, rudis, indigestaque moles,  
Nec quicquam nisi pondus iners, congestaque eodem  
Non bene junctarum discordia semina rerum.*

D 3

Hanc



Hanc enim verissimam & Mofi congruam esse descriptionem in Sect. I. §. I. ex ipsa creationis Historia evicimus. Unum restat, nempe ut dispiciamus: *Num haec rudis & indigesta materia seorsim sine forma subsisterit?* Antiquos hac de re si consulis Philosophos, tantum abest, ut affirmativam defendant, ut potius omnes in negativam jurasse videantur: Abhorrent scilicet a placitis illorum materiae a formis separatae, & sunt qui neque divina vi separationem fieri posse judicant. Carpit hinc inde ex Patribus Beda Origenem, quem dixisse scribit materiam informem antecessisse formatam speciem. Et idem ille de materia disputans, negat eam sine formis posse subsistere. Vid. Lib. II. *de Princip. c. 1.* Augustini mens quaenam hac de re fuerit, exprimunt verba illius in libro contra Adversar. Legis & Prophetarum C. 9. ita dicentis: *Nec putandus hic est DEUS informem prius fecisse materiam & intervallo aliquo interposito temporis formasse, quid informe prius fuerat. Sed sicut a loquela fiunt verba sonantia, ubi non prius vox informis post accepit formam, sed formata profertur, ita intelligendus est DEUS de materia quidem informi fecisse mundum, sed simul eam concreasse mundo.* Eo etiam tendunt Rabinorum quorundam, R. David, & R. Bechai distinctiones, quibus תרו וברה distingunt per illud materiam, per hoc vero ipsam formam, quae materiam affecit, intelligentes, quae tamen inepra figmenta vocant Hottingerus in *Histor. Creat. Quaest. XXII. p. 35.* & Dionysius Petav. in *Theolog. Dogm. L. I. de Opif. Sex dierum p. 127.*

§. XVI. Nos ante omnia monemus, distinguendum hic esse inter formam τὴν χάρις, & inter formas rerum in chao latentium, illa haud negatur, quippe quae in eo consistebat, quod materia prima erat תרו וברה; hanc vero negamus sequentibus suffulti rationibus. (1) Quia una tantum forma datur substantialis scil. anima nostra, quam in Chao una cum cor-



corpore formaliter extitisse, repugnat Scripturae, animam ex nihilo pure negativo creatam esse docenti. (2) Quia formae rerum, excepta anima nostra, omnes sunt accidentales, & a certa dispositione partium pro uniuscujusque rei natura dependent. Has igitur formas si habuissent res in massa illa rudi latentes, sequeretur formaliter & sub illa, qua nunc gaudent forma fuisse in chao canes, equos, leones, arbores, flores &c. quod, num sanae Philosophiae sit conforme, unusquisque facile definire valebit. (3) Quia chaos Mosaicum nihil aliud fuit quam massa materiae exsoluta, indiscreta, limosa multifariis particulis composita, adeoque res omni forma destitutas complexa, id quod ex Emphasi vocum *והוה וברו* partim, partim tota primae materiae descriptione supra demonstravimus, & denuo confirmamus ex Sap. XI, 18. Manus tua creavit orbem terrarum (*ἐξ ὕλης ἀμόρφος*) ex materia informi. (4) Quia, quid dissentientes per formas rerum intelligant, ipsi definire non possunt.

*Quaest. 2. Num ex indigesta quadam & horrendae vastitatis mole, quam primam materiam dicunt, universum hoc a DEO productum sit?*

§. I. Dissentientes circa hanc quaestionem in diversas abeunt partes, dum alii mundum cum toto suo ornatu non ex chao productum, sed ingenitum & aeternum volunt, alii creatum a DEO, verum non ex chao, sed nihilo pure negativo. Inter illos numerant Xenophanem Plutarchus de placitis Philosophorum Lib. II. c. 4. Parmenidem & Melissum Stobaeus Lib. II. Eclog. Phys. Aristotelem Burnettus in Archaeol. Lib. II. c. 1. p. 455. quos tellurem aeternam non qua materiam tantum, sed formam etiam, suppellectilem, & ornatum dixisse asserunt. Vid. Dn. Wolff. in Tract. de Manichaeis. p. 19. Ad hos vero praeter Keckermannum, Voetium, Cartesium, in priori quaestione allegatos referri merentur Tilenus Syntagm. Disput. 27. Franciscus



ciscus Gomarus Disputat. Theolog. XI. de Creat. thes. 34. Pererius Comment. iu Genesin. p. 53, & Dionysius Petavius in Dogmat. Theol. de Opific. Sex dierum Lib. I. c. 4. p. 127. quorum ultimus, *Mosen*, inquit, *arbitror ad rudis hebetisque populi captum verba sua, sententiasque temperantem, inanem appellare terram, quae nec urbibus, nec habitationibus, neque incolis frequentaretur adhuc, nec arbores, frugesque pareret, nihil denique haberet in superficie, quod emereret, cuiusmodi erant illa, quae Judaei oculis ac sensibus, tum cum ista legebant, usurpare poterant.* &c Per יהוה ובהו ergo non rudem ac informem molem, ex qua DEUS totam coeli & terrae compagem produxit, sed ipsam terram habitabilem, modo non exornatam intelligit.

§. 2. Notandum vero ante omnia est (1) per molem indigestam nos non intelligere materiam omni creationi praesistentem, ingenitam & in se suaque natura ad res producendas aptam, de illa enim recte Poeta:

*Materiam noli quaerere, nulla fuit,*

sed materiam a DEO in principio creationis ex nihilo creatam, inhabilem, informem, ac indispositam. (2) Non negamus nos creationem ex nihilo esse factam, id enim negare est Scripturae contradicere, Vid. Rom. IV, 17. sed distinguimus inter productionem rei ex nihilo immediatam & mediatam. Illa etiam prima dici solet, & est qua DEUS ex nihilo absolute tali, quaedam produxit, qualia sunt: E. G. Chaos, lux primigenia, anima Adami & Angeli: Haec vero secunda dicitur, & est qua DEUS mediante materia inhabili, informi & indigesta in primordio temporis creata universum coeli, terrae, marisque tractum cum omnibus in illo existentibus ex nihilo secundum quid tali confecit. Ultramque concedimus, sed cum de posteriori saltem in praesenti nobis sermo sit, eam probamus. (1) Ex historia creationis a Mose delineatae, in qua dicitur DEUS in prin-



principio creasse rudem & stupendae ἀσχημοσύνης molem, creatam molem foecundasse, ex foecundata deinceps mole produxisse coelum aereum seu expansum, aquam & terram, varii generis plantas, pisces, volucres, bruta animantia, corpus humanum &c. (2) Ex Sap. XI, 18. qui liber quidem non est canonicus, testatur tamen, Ecclesiam Judaicam ejusdem fuisse sententiae, DEUM nempe initio massam indigestam & ex illa mundum hunc adspectabilem creasse. Confer. Menasse Ben Israel de Creat. Probl. IV. p. 13. seqq. Addo (3) probationem, quam eruit B. Chemnitius in LL. Theol. Art. X. de creat. ex differentia vocum כרא & עשה, quarum illam creationem ex nihilo negativo, hanc ex rudi quadam & indigesta materia, illam operis praeparationem, hanc elaborationem significare contendit. (4) Nec illud omittendum hic est, quod contraria sententia nullo idoneo probari possit argumento. Quas enim crepant hinc adversarii rationes, nullius momenti sunt, & ut apponamus haud merentur. Confer. B. Meisneri *Philosoph. söbr. P. I. Sect. III. c. III. qu. 3.* D. Affelmann. *Synt. P. I. Diss. XIV. p. 545.* D. Calovius *Tom. III. Syst. C. II. q. 3.* D. Carpzovius *in Syst. Theol. P. I. art. VI. §. 10.* D. Varenus *Comment. in Genes. p. 6. seqq.* D. Quenstedt *Syst. Theol. P. I. c. X. Sect. II. p. 433.*

*Qu. 3. Num tenebrae in abyssö aquarum pro mala substantia, omniumque in mundo malorum causa sint habendae?*

§. I. Quamvis impurus ille, scelestusque Spiritus non tantum ipse mala peragat, sed etiam Lerna sit omnium, quae homines suscipiunt, flagitiorum, tantam tamen bonitatis affectat speciem, ut cum perditissimus sit, optimus videri velit. Hinc, ut introducti in mundum mali suspensionem a se declinaret, omni semper studio conatus est, alium hominibus ostendere fontem, cujus e rivulis peccata in mundum fluxisse putarent. Id quod non melius procedere posse arbitratus est, quam si iis-

E  
dem



dam pervaderet, esse substantiam aliquam essentialiter malam, cui quicquid criminis & vitiorum detur, omne sit adscribendum. En originem nefandi illius & enormis erroris de duplici principio, bono altero, altero malo, qui tam altas egit radices, ut ne huc dum quidem ex animis hominum extirpari possit! Absurdissimum vero, quod sententiam comitatur, in eo residet, quod malum principium de tenebris exponant, ex quarum cum chao commistione externus hic mundus creaturaeque cernendi exposita sensui sit conflata.

§. II. Primus, qui cum ratione ita insanire voluit, Zoroaster fuit Chaldaeus, quem nonnulli eundem esse cum Chamo Noachi filio dicunt, alii vero, ut Epiphanius, coevum Nimrodo faciunt apud Stanlejum *Hist. Philos. Orient. Sect. I. c. 3.* Statuit vero Zoroaster, duas rebus a primordio causas esse patrem & matrem, & patrem quidem lucem, matrem caliginem. Vid. Dn. Wolff. in *Tr. de Manichaeismo.* p. 50. & Stanlej. l. c. Zoroastris & Chaldaeorum castra sequuntur Persae una cum Aegyptiorum cohorte. Illi enim duos somniant DEOS diversae originis & contrariis veluti artibus deditos, unum ex purissima luce natum & boni omnis fontem, alterum vero e tenebricosa caligine ortum & naturae degenerantis auctorem, illum Ormazden hunc Arimanium, vocatum. Utrique etiam victimas, illi votivas & eucharisticas, huic vero ad avertenda mala atque tristia immolantur. Vid. Plutarch. *de Isid. & Osir.* & Stanlejus *l. c. Sect. II.* Aegyptii & contrario praeter tres DEOS Isidem, Osiridem, & Orum, bonos omnes, etiam DEUM coluerunt malum SAMAELEM, quo tenebrarum Principem indicari ex Etymo vocis colligitur. Samaelem enim a מם Buxtorffius Lexico Talmud. derivat. Confer. Vossius Lib. I. de Idololatr. e. 5. p. 34. & Disput. Praesid. de DEO Luce p. 13. Ex Graecis Pythagoram simili ratione tenebras instar mali cujusdam generis coluisse testantur Porphyrius in *Vit. Pythag.* & Plutarchus



in L. de Ifid. & Ofirid. Idem in Platone, Stoicis, quin tota Gentilium colluvie animadvertit Dn. Wolfius in Tr. saepius laudato de Manichaeifin. Sect. II. p. t.

§. III. Nec tantum Gentilissimi campum, verum & Christi vineam femina malefanae hujus opinionis occuparunt. Seculo enim II. Basilidiani duplicem esse substantiam aeternam & ingenitam, unam lucem, alteram tenebras, illam boni, has mali causam omni asseveratione docebant. Basilidis verba huc spectantia leguntur in actis Disputationis Archelai cum Manete p. 101. ubi: *Desine, inquit, ab inani & curiosa varietate, requiramus autem magis, quae de bonis & malis etiam barbari inquisiverunt, & in quas opiniones de his omnibus pervenerunt. Quidam enim horum dixerunt, initia omnium duo esse, quibus bona & mala associaverunt, ipsa dicentes initia esse sine initio & ingenita, id est in principis lucem fuisse & tenebras, quae & a semet ipsis erant, non quae esse dicebantur. Haec cum apud semet ipsa essent, propriam unumquodque eorum vitam agebat, quam vellet, & qualis sibi competeret; omnibus enim amicum est, quod est proprium, & nihil sibi ipsi malum videtur. Postquam autem ad alterutrum agnitionem uterque pervenit, & tenebrae contemplatae sunt lucem, tanquam melioris rei sumta concupiscentia infectabantur ea commisceri. Vides sententiam Gentilium a Basilide approbari, tenebrasque pro mala substantia venditari. Et in hoc delirandi genere proximum sibi habet Basilides secundum Valentini discipulum, qui praeceptoris triginta Aeonibus duos adhuc adjecit, lucem & tenebras. Vid. Colberg. im Platonischen Hermetischen Christenthum. P. II. c. II. §. 3.*

§. IV. Omnium acerrime furorem istum defenderunt Manes & assectae, qui tantis cum in deliciis habuerunt, ut totum fere suum facerent. Fieri hinc enim existimo, quod error ille *νοῦτ' ἐξοχήν* & nomine quasi *διαιρητικῶν* Manichaeifinus appelletur. Totam vero Manichaeorum doctrinam *ὡς ἐν σὺνὸψει* & velut in tabula exhibet Theodoritus L. I. c. 26. *Haeret.*



*Fab. his verbis: Duos ingenitos & coaeternos esse dixit, DEUM & materiam, & DEUM quidem lucem appellavit, materiam autem tenebras. Et lucem porro rem bonam, tenebras autem malam &c. Quibus addo & illud, quod statuunt illi, DEUM qui legem per Mosen dedit, & per os Prophetarum locutus est, non verum DEUM, sed unum ex Principibus tenebrarum fuisse. Conf. Wolff. Tract. de Manich. Sect. II. §. 45. p. 231.*

§. V. Longe tamen nocentiores his omnibus sunt Fanatici, qui derestabile illud dogma, DEUM esse aeternas tenebras, ex abditis Gehennae protraxerunt. De G. Arnoldo in hoc coeno haerente, cur dubitemus, causa nihil est, quippe qui plus simplici vice essentiam DEI tenebras vocat. Vid. ejusdem Confil. Theol. p. 310. seqq. Nec rectius sua gerit sutor ille ultra crepidam progressus, J. Boehmius, qui iridem Deitatem in principio nigram & obscuram dicit L. de Signatura. Quibus & assentitur Poirretus, quando DEUM triplici principio successivo constare asserit, in primo vero, quod Patrem vocat, tenebras, malum, iram & regnum infernale collocat. Confer. Summe Rev. Jaegerus in *Exam. Theol. novae Controv.* 4. Adeo delectant homines istos impuri latices, quos gentilismus, ceu fons inquinatus diluvii instar Deucalionis effudit. Notum enim, Phoenices & alios ex gentibus Deorum genealogias ab orco, Erebo, nocte, tartaro, Styge tanquam a summo principio deducere. Aegyptiis summus DEUS Cneph, nomine obscuritatis rationem habente, vocatur, & Hecataeus apud Plutarch. Lib. de *Isid. & Osir.* πρώτον θεόν ἀφανῆ καὶ κενεγυμμένον nominat. Equidem non nego, DEUM quandoque in loco caliginoso sese manifestasse, sed qua essentiam tenebras illum & caliginosi quid esse, id est, quod neque ex ratione, neque ex S. Literis demonstrari potest. Confer. Summe Rever. Dn. Loescherus in *Praenot.* p. 131.

§. VI. Ut ista abominamur, ita pernegamus tenebras in abisso aquarum substantiam malam fuisse. (1) Quia huic



huic portento repugnat natura tenebrarum, quae duplicis generis sunt vel privative vel negative tales. Privative sic dictae sunt, quae lucem in natura existentem praesupponunt quidem, at vero ex privatione & absentia illius haud fecus ac silentium cessante sono, sunt. Quales tenebras toties locum habere vides, quoties aut lumen prorsus a corpore absorbetur, aut saltem motus ejusdem nullibi penetrare potest. Negative tales e contrario sunt, quae lucis existentiam non praesupponunt, sed simpliciter negant. Et hujusmodi sunt tenebrae, de quibus Moses loquitur, non substantiam a DEO creatam, nec defectum tantum sed negationem lucis in abyfso significantes. Ob opacitatem enim variarum & inter se confusarum particularum aliter fieri non potuit, quam, ut tota moles spissis involveretur tenebris. Urgemus (2) & illud, quod tenebrae istae neque creata, neque increata, substantia dici possint. Non increata, id enim solius DEI attributum est, neque etiam creata, siquidem juxta hypothefin adversariorum tenebrae essentialiter malae sunt. DEUS autem singulis a se creatis, bonitatis laudem tribuit, a Mose his verbis repetitam: *Et vidit DEUS, quod omnia bona sint.*

Qu. 4. *Quem Spiritum Moses per אלהים רוח intelligat?*

§. I. De vocabuli רוח generaliori significato in priori Sectione actum est, restat, ut illum, quem hoc loco obtineat, expendamus. Antequam vero genuinae de hoc Spiritu sententiae fides concilietur, juvat varias de illo variorum proferre sententias. Sunt qui per רוח אלהים ventum vehementem, seu aerem agitatum intelligunt missum a DEO, ut ingentem aquarum molem ultro citroque exagitaret, & terram ab illa separaret. Ita Onkelos Chaldaeus cum sua Paraphrasi, R. Maimonides, Aben Esra, alii, quibus accedant ex Patribus Theodoritus, Tertullianus, Basilus, citati a Sixto Senensi Bibl. S. p. 41. Consentiunt cum illis Episcopus Lib. IV. Instit. Theol. Quaesit. III. c. 1. Thomas Hobbesius in *Leviathan. c. XXXIV. p. 184.* Joseph. Anton de Gonzalez de Sala in *Tr. de duplici terra p. 63.* Richardus Simonius in *Hist. Crit. V. T. Lib. III. c. 11.* Sandius in *Problemate Paradox.* & qui paucis saltem ab hinc annis eandem cramben recoxit, Witterus in Commentar. ad Genes. reprehensus ab Amplissimo Dn. Adjuncto de Elswig in *pecul. quad. disputat.*

§. II. Nonnulli, quorum antesignanus Franc. Valesius in *Libro de Sacr. Philosoph. p. 28.* Spiritum DEI interpretantur de igne elementari



tari, Sociniani de virtute DEI. Alii per רוח אלהים intelligunt consilium seu voluntatem, qua se ad disponendam, adornandamque rudem ac indigestam materiam Numen accinxit. Quam sententiam sequitur Auctor fasciculi Myrrhae sic inquit: רוח אלהים מרחפת על פני המים היה רצונו *Et Spiritus DEI ferebatur super facies aquarum b. e. voluntas ejus.* Eandem sequitur opinionem Mendoza in *Phys. Disput. 3. de Opere sex dierum Sect. II.* qui sentit voluntatem DEI aquas ad operandum elevasse per potentiam obedientialem activam, & hoc ipsum ex Jud. XIV, 6. firmare conatur.

§. III. Portentosum quid, & ab omni veritatis specie alienum defendunt, qui רוח אלהים de sole interpretantur, terram limosam & aqueam radiis suis exsiccante. Quod commentum Joh. Albae Hispano adscribit Hackspanius in *Notis Bibl. p. 33.* Nec sapientiores sunt, qui Angelos hic urgent intelligendos primum mobile rotare incipientes. Quae sententia est Cajetani Cardinalis falsa sine dubio nitentis hypothesi, dari intelligentias orbium coelestium motrices. Consul. M. Hofmann in *Notis ad Observar. Ligtfoot super Genesin* (quas una cum Jean d'Espagne scriptis edidit) p. 53. cui nefandum hoc dogma non sine ratione featurigo videtur & fons omnis *βησιμείας τῶν ἀγγέλων* in S. Literis rejectae profus & damnatae. Levius hic offendunt, qui cum Steucho in *κοσμοσ.* aeternam DEI sapientiam i. e. Christum intelligi debere comminiscuntur, quorsum etiam spectant illa e Baal Turim ubi רוח אלהים cabballitice exprimitur per *רוח של מלך המשיח* i. e. *Spiritum Regis Mesiae.*

§. IV. Atro hic denique lapillo illorum opinio est notanda, qui animam mundi, ceu Helenam quandam in scenam producunt, & nomine רוח אלהים adornant. Sunt isti Joh. Amos Comenius *Phys. Reform. p. 9. 20.* Oswaldus Crollius *Praefat. ad Basilic. Chym. p. 19. seqq.* Robert Fludd de Fluctibus in *Cosmi Histor. Tr. I. L. 2. c. 2. C. Democritus im Wegweiser zum verlobrnen Licht und Recht. P. II. p. 36.* & alii, quos omnes suam hac de re hypothesin ex Schola Platonis sumsisse multis probari potest testimoniis, sed rei notissima non opus est addere testes. Sufficere hic nobis cenfeo ipsum Fluddii testimonium, qui postquam multa de Spiritu lucido super aquam moto garrisset, ita pergit: *Hunc Spiritum Platonici vocarunt animam mundi, cui nobilitate*



ate proximam lucem tantummodo agnoverunt, dicendo, quod nihil sit in ipso firmamenti circulo praeter animum, quod majorem DEL similitudinem prae se ferat, quam ipsum lumen &c. Vid. ejusd. Cosmi Histor. Tr. I. L. II. c. 2. p. 48.

§. V. Expositis ita variis de hoc Spiritu sententiis dicimus: **רוח אלהים** significat tertiam Divinitatis Personam creatum chaos infinita virtute foventem & foecundantem. Tuemur hanc assertionem sequentibus freti argumentis: I. Quia Spiritus hic dicitur **רוח אלהים**, quo nomine nisi vocabulum apponatur alienans, nunquam ventus aut alia creatura, sed semper Spiritus S. in Scriptura insigniri solet. Confer. 2. Sam. XXII, 2. Ef. LXI, 1. II. Quia Spiritus ille vastum ac confusum primi producti corporis coagulatum, haud secus ac gallina pullos suos, incubando fovit, vegetavit & infinita *σπερμα* foecundavit, qui actus iterum non creaturae sed ipsi DEO sunt tribuendi, siquidem creationem hujus universi concernunt, creaturae autem, quaecumque illa sit, neque creatio neque ulla ad creationem *σπερμα* competit. Hinc etiam non creaturae sed DEO, & quidem Spiritui S. mundi hujus formationem acceptam fert Propheta dicendo: Mittis Spiritum & creantur, & innovas faciem terrae. Pl. CIV. 30. III. Quia id postulat *σπερμα* textus: Exaggeratur vastitas & stupiditas primae materiae, ceu indigestae, informis, confusae & tenebris undique immersae molis. Quaerenti jam, qua ratione factum ne principiis sese invicem oppugnantibus tota solveretur, respondet scriptura: Spiritum S. infinita sua virtute horrendae *ἀσχημοσύνης* molem sustentasse, ut collabi & pristinum in nihilum redire haud posset. IV. Quia Spiritus S. similes actus etiam alibi in scriptura sibi vindicat. E. G. fovendo producere. Luc. I, 35. item in forma columbae apparere. Matth. III, 16. cujus apparitionis etiam gentiles qualemcunque habuisse notitiam, vel ex eo apparet, quod in suis Geologiis tradant columbam ovo infedis & almam Venerem peperisse. Verba citantur ex Nigidio in Scholiasten Germanici: *Ovum mirae magnitudinis invenisse, quod volentes ejecerunt in terram, atque ita columbam infedis, & post aliquot dies exclusisse Deam Syriae quae vocatur Venus.* Eundem etiam sermonem, sed mendosorem ex antiquis habet Lucius Ampelius apud Burnetum in Theoria telluris Lib. II. p. 142. scil. *ovum piscis colum-*



columbam affedisse dies plurimos & exclusisse DEAM benignam. Ubi ovum chaos denotat, Venus seu Dea benigna terram habitabilem, & columba Spiritum S. qui mundum rudem adhuc, & suis quasi secundinis involutum excitavit. Confer. Grotius in Notis ad L. de Ver. Rel. Christ. p. 236. Atque hoc pacto simul contigisse puto, ut quidam ex veteribus mundum sibi instar ovi conciperent. Notum enim ex historiaram monumentis, Phoenicibus ovum mundi simulacrum fuisse, & eam ob causam in Orgiis Bacchi religiosissime cultum. Aegyptiis itidem mundi symbolum extitit, unde Thebani, cum DEUM mundi opificem significare vellent, ejus simulacrum ita formabant, ut ovum ex ore effundere videretur. Ἐπιφανεύσει δὲ τὸ ὄν ἡδυσμὸν, inquit Eusebius Praeparat. Evangel. Lib. III. c. 11. Quin & hodiernos Brachmanes apud Indos eandem de ovo hoc sententiam fovere, scriptores rerum istarum referunt. Vid. Dickinson *Delph. Phoenic. c. 5. p. 45.* & Burnettus *l. c.* Sed haec obiter.

§. VI. Quintum & ultimum argumentum pro custodienda thesi nostra inde peticum est, quia nihil ex iis, quae pro Spiritu DEI aequis incubante ab adversariis venditantur, hic locum habere potest: Non ignis; hic enim nondum extitit, &posito extitit, destruxisset tamen potius, quam foecundasset primam materiam: Non ventus, quippe qui nihil aliud est, quam aer impulsus & concitatus. Aerem autem secundo non primo die creatum esse S. Pandedæ loquuntur: Non sol & angeli, quia & nondum fuerunt, & creaturae sunt omni ad creationem σὺνεργεία destitutae: Non attributum divinum, quia ὕφισ δμενον requiritur; non Sapiencia ὑποστατική, quia haec nullibi in Veteri testamento מוחלל נאמר vocatur: non anima mundi, haec enim non est in rerum natura. Consul. Waltherus in *Spongia Mosaica p. 36.* & *Offic. Bibl. p. 525.* Calovius in *Bibl. p. 222.* Riverus *Exercit. II. in Genes. D. Varenius Dec. Mos. p. 35. seqq.* Glasius in *Philolog. S. p. m. 1607.* Mich. Havemann in *Theogn. antiqua c. 2. §. 10.* Danhauerus *Lat. Carech. P. VI. p. 739.* Hackspanius *Sylog. Disput. p. 499.* Hottingerus *Histor. Creat. Qv. 31. 32. 38.* Pfeiffer in *Dub. Vexat. p. 1. seqq.* Dn. P. Christ. Schroedter in *Acerra Bibl. B. Mulleri continuata Tom. I. Dn. de Elswig in Observ. contra Witterum VI.*

S. D. G.



ULB Halle  
005 121 825


3



Wilh. Falger  
Buchbinder  
Balle u. A., Dr. Brücknerstr. 9











2. D. B. V.  
DISPUTATIO PHILOLOGICO-PHYSICA

*Ad illustr. locum Gen. I, 2.*

DE

# CHAO MVNDI

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

**DN. FRIDERICO AVGVSTO**

PRINCIPE REGIO, ET ELECTORATVS  
SAXONICI HEREDE

*SVB PRAESIDIO*

**M. CRISTIANI BERNHARDI**

**BÜCHERI**

FACVLTATIS PHILOSOPH. ADJVNCTI

*AD DIEM XXV. JANVARIJ*

IN AVDITORIO MAJORI

PVBlicae DISQVISITIONI SVBMITTIT

AVCTOR - RESPONDENS

**JOANNES DANIEL VNSELT**

GEDANENSIS.

*VITEMBERGAE*

EX OFFICINA VIDVAE GERDESIANAE.

27. / 19  
L 3, 17

